



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

516. An dum Episcopus defunctus est simul Princeps Imperii, Capitulum
sede vac. comparere possit in Comitiiis imperialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Tridentinum contra Capitulum, vel ejus administratorem sede vacante concedentem literas dimissorias in casu non permisso, non reservatur amplius Papæ; sed ejus absolutio dari potest per Episcopum successorem. Pignat. tom. 3. consult. 8. n. 4. Ventrigl. loc. cit. n. 48. citans P. Thesaurum ubi ante, qui etiam addat, non posse ab illa absolvi simplicem confessarium.

4. Notandum tertio, pœnam illam statutam concedentibus dictas dimissorias contra dictum Tridentini decretum adhuc ab iis incurri, etiam si is, cui ea concessa fuerunt, iis usus non fuerit; quia actus fuit perfectus quod ad concedentem, per quem non stetit, quod minus concessionarius iis uteretur. Barbof. loc. cit. n. 130. citans Garciam in addit. ad tract. de benef. p. 5. c. 7. n. 92. Ventrigl. n. 46. & 49. citans insuper Molin. de just. tom. 6. tract. 5. d. 11. num. 4.

5. Notandum quarto, quod pœna illa interditi fit lata sententia, pro ut colligitur ex verbo illo, quo utitur Concilium subjacet, quod est lata sententia. Ventrigl. n. 47. ex Thesaur. loc. cit. Pignat. tom. 3. consult. 8. n. 3. Pœnam verò privationis privilegii clericalis non incurrit ordinatus in minoribus ante Judicis sententiam juxta Constitutionem Urbani VIII. adversus malè promotos. Barbof. loc. cit. n. 131. Ventrigl. cit. n. 47. Dian. p. 8. tract. 4. resol. 44. citans Navar. conf. 20. de tempor. ordinat. in prima editione. Addunt quoque Barbof. & Dian. rationem, quod nimirum Concilium dicat: nullo gaudeant privilegio. id autem gaudeat. cum sit futuri temporis, non deoret pœnam ipso jure impositam, sed imponendam juxta doctrinam communiter receptam. Unde jam etiam ordinatus taliter potest habere, & obtinere beneficium, donec per sententiam hujusmodi privilegium clericali priverit. Dian. loc. cit. citans Rodriq. in sum. tom. 1. c. 71. n. 20. Barbof. n. 132. Ventrigl. n. 37. citantes Sanch. de matrim. l. 7. d. 46. n. 18. Quarant. in sum. Bullar. v. capit. sede vacant. q. 10.

Quaestio 515. An dimissoria ritè & legitime concessa per Capitulum sede vacante expirent per ingressum novi Episcopi?

Resp. negativè Ventrigl. loc. cit. n. 43. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 129. citans Quarant. ubi ante, vers. secundò dubitatur. Ledesm. in sum. p. 1. de sctam. ordin. c. 8. concl. 4. Gonzal. ad reg. 8. cancell. gl. 12.

n. 37. Monet. de commut. ult. volunt. c. 10. n. 179. Molin. ubi ante n. 4. Curtür. can. qq. l. 2. c. 17. n. 12. qui tamen consulat ordinatoribus, ut si tempore presentationis dictarum dimissorias coram eis sciverint, novum Episcopum possessionem Episcopatus accepisse, vel in Episcopatu adesse, illas non admittant, nisi revalidata, vel noviter à successore concessa producta fuerint, vel ab ejus officiali speciale ad id mandatum habente. Quod tamen consilium videtur supervacaneum, si dicta dimissoria per ingressum novi Episcopi non expirent, sed in robore suo permaneant. Ratio responsionis est communis; quod gratia semel concessa non expiret morte concedentis, juxta c. si super gratia, de off. deleg. in 6. c. cui nulla, de prebend. in 6. Illud verum videtur, quod ibidem ex Rebuff. in pr. benef. tit. de formalit. dimissorias. n. 44. & Campanil. rub. 6. c. 8. n. 35. tradit ibidem Barbof. posse à novo Antistite revocari per edictum omnes, & quascunque dimissorias à prædecessoribus Episcopis, & à Capitulo sede vacante concessas; secus tamen est de concessis à Papa, vel Nuntio Apostolico.

Quaestio 516. An dum Episcopus defunctus est simul Princeps Imperii, Capitulum sede vacante comparere possit in comitiis imperialibus?

Resp. affirmativè Pirrhing. ad tit. de major & obedient. n. 52. §. his addendum ubi: licet Capitulum sede Episcopali vacante admittatur ad comitia Imperialia; non tamen Capitulum v. g. ecclesie Archiepiscopalis admittitur ad electionem Imperatoris, aut regis Romanorum; cum hoc jus eligendi quibusdam Archiepiscopis Germaniæ ratione dignitatis eorum ex speciali jure, ac privilegio competat, ut ex Aromao de comitiis tradit Laym. in c. unicam. ne sed. vac. in 6. in his autem, quæ Episcopo ex speciali jure competunt, non succedit Capitulum; quia succedit in jurisdictione & administratione Episcopi propter unionem, quæ est inter ipsum & Episcopum; hæc autem unio non intervenit secundum ea, quæ Episcopo jure, & privilegio speciali, & veluti extrinseco, & extraordinario competunt. Honorius ab Axel. in sum. decretal. in cir. rit. ne sede vac. n. 7.

